

corum dogmata evitanda, fuere assumta. Quo nomine Symbolum Nicenum & Athanasianum cum primis celebrantur: & ante seculum Augustæ Carolo V. exhibita Confessio palmam multis aliis præripit; ob doctrinæ cœlestis quam proponit puritatem, tanto magis admirandam, quod post tam densas Papatus tenebras & horrendas corruptelas, tanta cum perspicuitate veritas tam breviter proponi potuit.

XVI. Non placuit illa omnibus, sed nec placere potuit, cum lux & veritas itidem omnibus non prebentur *Iohan. 3.* Et hæc confessionis & Symbolorum natura est, ut per illa segregatio fiat: ut hostes, desertores, proditores ab amicis veris his ipsis tesseri distinguantur: non ergo mirum eadem hostibus exosa esse. Idem fatum Symboli & Confessionis Apostolicæ fuit, quod tot persecutiones primitivæ Ecclesiæ testantur. David id ipsum expertus unde *Psal. 121. 7.* conqueritur *dum loquebar ipsi ad bellum: & Psal. 116.* connectit fidem, confessionem & adversitates seu crucem.

XVII. Non lubet nec nostri instituti est, omnia quæ contra hanc nostram Confessionem proferunt vel referre vel refellere. Novitatis accusatio ut frequentissima ita notissima. *Dillingenses Icti in Compos. Pacis c. 1.* de Confessione nostra agentes, nil frequentius in ore habent, quam *novitatis & novatorum* titulum. *Forerus* sub initium *des vberschlags* p. 2. gloriatur *de antiquioribus literis* (von den ältern Briefen) *Papatus præ A. C.* & quid frequentius legas apud Pontificios, quàm *debere nos ex omni antiquitate unum proferre, qui nobiscum in omnibus senserit.* *Costerus in Enchir. p. 37.* non posse Evangelicos, nolint velint, diffiteri, ipsos (Pontificios) tot centenis annis in antiquitus per manus tradita Christianismi professione fuisse *Ulenberg. causa. 1. p. 20.* adeoq; antiquitatem inter notas suæ Ecclesiæ referunt.

XVIII. Nobis illa vera antiquitas est, quæ ad antiquum illum dierum *Dan. 7.* referri potest: non enim quicquid hic aut ille ante nos dixerit, sed quod Christus, qui ante omnes est, pronunciarit, juxta *Cyprianum, attendendum est: is, cum Ignatio Epist. 6., nobis pro archivis est, cui non parere manifestum exi-*
B tium